

**Dissertatio Philologico-Theologica De Commoda Methodo Phraseologiam
Dogmaticam, Etiam Ex Analogia Rituum Exponendi : Opposita Liberio â S. Amore**

Rostochi[i]: Typis Joh. Weplingi[i], [1706]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1003424163>

Druck Freier  Zugang



RU theol. 1.Sept.1706

Heymann, Henr. Georg.

R.U.-theol 1706 Zorn, Peter/a

27.
285.
36

JESU AUSPICE!
DISSERTATIO PHILOLOGICO-THEOLOGICA.
DE

COMMODA METHODO
**PHRASEOLOGIAM
DOGMATICAM,**

ETIAM EX
**ANALOGIA RITUUM
EXPONENDI,**

OPPOSITA
LIBERIO à S. AMORE,

Universitäts-
Bibliothek
Rostock

ET
**EX CONSENSU VENERANDI ORDINIS THEOLOGICI
ROSTOCHIENSIS,**
SUB

MAGNIFICO RECTORALI & DECANALI MODERAMINE

GRUENENBERGIANO,

ET PRÆSIDIO,
DN. M. PETRI ZORNII,

S. THEOL. BACCALAUREI,
PUBLICÆ VENTILATIONIS EXPOSITA,
IN AUDITORIO MAXIMO,

AN. 1706. DIE I. SEPTEMB.

à RESPONDENTE AUCTORE,

HENR. GEORGIO HEYMANN,

HAMBURGENSE,

S.S. THEOL. & PHILOS. STUDIOSO.

ROSTOCHI, TYPIS JOH. WEPPLINGI, SER. PRINC. & ACAD. Typ.

VIRIS

Maxime Reverendis, Amplissimis atq; Spectatissimis DNN,

PRÆSULIBUS,

Ecclesiarum Hamburgensium

- DN. JOHANNI VOLKMARO S.S. Theol. Doct. Pastori ad D.
Catharinæ, Rev. Ministerii Hamburgensis Antistiti, & Schol. Ephoro,
DN. FRANCISCO WOLFFIO S.S. Theol. Doct. & Pastori ad
D. Nicol. ut & Scholarchæ,
DN. CHRISTIANO KRUMBOLTZIO S.S. Theol. Doct. & ad
D. Pet. & Pauli Pastori ut & Scholarchæ.
DN. JOHANNI RIEMERO, S.S. Theol. Doct. & Pastori ad D.
Jacobi ut & Scholarchæ,
DN. PETRO THEODORO SEELMANNO, Pastori ad D.
Michaelis & Scholarchæ,
DN. CASPARO BUSSINGIO, Pastori Templi Cathedralis D.
Mariæ & Lectori Theologiæ.

DOMINIS PATRONIS, & in Christo Patribus

meis summis atqve optimis,

Nec non,

VIRIS Nobilissimis, Excellentissimis atq; Amplissimis

- DN. ELIEZERI EZARDO Professori in Gymnasio Patrio Hi-
stor. & Græcæ lingvæ.
DN. SEBASTIANO EZARDO Profess. Logices & Metaphys.

DOMINIS PRÆCEPTORIBUS, & Studiorum Promotoribus
meis submisse vnerandis,

*Hincce manipulum sacrarum antiquitatum
sacrum esse vult*

HENRICUS GEORGIUS HEYMAN,
S.S. Theol. & Phil. Studiosus.

I. N. J. N.

CAP. I.

De Liberii à S. Amore iniqua in libellos Systematicos Protestantium Censura.

S. I.



Inter nasutos libellorum systematicorum censores merito ponimus *Liberium à S. Amore*, hominem Socinianum. Nam Autor ille, qui est *Johannes Clericus*, edidit paucis abhinc annis *Epistolas Theologicas*, in quibus multa reprehendit in libellis systematicis, omnemque insuper operam impendit, ut Socinismus hoc libello promoveat. Celeberrimus equidem

Cyprianus Theologus Coburgensis in Academia Helmstadiensi sub Præsidio Magnifici Dn. *Job. Andrea Schmidii* *Liberium a S. Amore* peculiari erudita dissertatione solide refutavit, at nihilominus tamen & nobis licebit hoc capite *stricturas quasdam* in eundem proferre, præsertim cum prælaudatus Dn *Cyprianus* raro mentionem faciat dicitur illius, quo in *Epistolis Theologicis* p. 179. & 204. ignorantiam antiquitatum & elegantiorum literarum Nostratibus, qui Systemata scripserunt, temere imputat. Quod si vero *ἐπιχειροῦν* illam *Clerici* consideremus, observandum est ante omnia, (1) *Clericum* censuram illam protulisse ex minus sincero pectore, in hunc finem, ut Veterum statuariorum more & pios Theologos tanquam omnis S. Antiquitatis imperitos, hypercritica sua censura contemptui exponeret, (2) ex paucis minimique ponderis nævis, præsertim in Historicis, Systematum fidei orthodoxæ male impugnaret autoritatem atque utilitatem, (3) id unice intenderet, ut Pseudo-Philologorum more, de quo infra

A Cap.

† Sic *Thomam Reinesium* iniquum *Hülsemanni* Censorem false vocat *A. Scherzerus* in Extensione *Breviarii Hülsemanniani*.

cap. III. agemus, literaturæ profanæ ope, Scripturæ sensus de-
torqueatur, ad dilatanda Socinismi pomœria.

§. II. Non negamus e quidem, esse quosdam *novos* præ-
fertim *historicos* in libellis systematicis, at inde acerbiorem cen-
suram in eosdem non licere emittere, docemus. Sic, ut exem-
plis res illustrior fiat, vulgò in Systematibus *Masora* sepimentum
legis dicitur, & quidem in hunc finem, ut puritatem fontium eò
magis probent Theologi: an verò tantum roboris illi argu-
mento insit, judicent illi, qui *Antonii Laymarii* animadversiones
in notas & observat. *Masorethicas* præter omnem modum & so-
lidam rationem valdè à nonnullis hæcenus laudatas, legunt. v. g. *Ma-
sorethæ* numerarunt 222 loca, in quibus voces Jehova & Adonai
junctim extant, at ille 298 numerat: unde satis constat negli-
gentia *Masoretharum*. *Scherzerus* in Extensione Breviarii *Hülse-
manniani* p. 472. legem moralem cordibus hominum inscriptam
& denuo a Mose repetitam esse, ex historia probaturus, citat VII.
Noachidarum præcepta, quæ tamen ex cerebello recentiorum
Judæorum sunt conficta. Juvat audire sequentia verba Magni-
fici Dn. *Fechtii* nostri in Dissertatione Theologica de Religione
Gibeonitarum p. 25. *Clarissimum est, inquit, religionem illam cum di-
citur, Noachidarum, inventum esse recentium Apellarum, quod nullum
habet in scriptura aut vera antiquitate fundamentum, quantumlibet
Antiquitatem supra Talmudicam mentiatur, & à scriptoribus quibus-
dam nostris, qui totum hoc negotium non satis mature considerant, re-
cipiatur.* Nemo autem igitur Extensionem *Scherzeri* Contemptui
habere debet. Idem *Scherzerus* in Systemate Theologico p. 79.
asserit, *Theodororum* primum negasse Spiritus S. à Filio processio-
nem, cum tamen constet *Theodorum Mopsvestenum, Theodoretum Ma-
gistrum* primum autorem dici. cont. *Job. Garnerii* Jesuitæ Galli
dissert. III. de *Theodoretum* fide, quæ hunc errorem in *Caleca* & *Bellarm.*
observat. Quando porro Theologi *Concilium Chalcedonense* citant,
non distinguunt lectiones illas *ex dúo φύσιν* ex duabus natu-
ris, (ita habent vulgò Concilia Græcè edita) & *ex dúo φύσιν*
in duabus naturis, cum tamen postrema lectio melior sit, tum
quod hæresis Eurychiana, quæ olim has phrasas pessimè con-
fundeat, arctius adstringatur, tum quod quidam Patres ean-
dem

287

dem lectionem priori præferunt. v. gr. *Cyrillus* in vita *Euthymii* in *Benedictinor. S. Mauri Analectis Græcis* T. I. p. 16. Nec verba *Tertulliani* ab illis rectè expenduntur, qui autographa Apostolorum *Tertulliani* tempore superfuisse putant, ut inde eò magis puritatem illibatam codicum SS. & Veterum Christianorum curam ostendant. Nam post *Rigaltium* rectè Prior de *Bolleville* response au livre intitulé: *sentimens de quelques Theologiens* cap. XIV. observat, nihil aliud per literas authenticas *Tertulliani* de præscript. c. 37. quam intemerata indubitate fidei apographa, non autographa denotari: quo sensu & ipse *Tertull.* alibi paraturam authenticam & Conc. VI. generale τὰ ἀυθεντικὰ βιβλία vocant. Plures in Historia Ecclesiastica admissos nævos observant Critici, sed brevitas causa nos hic subsistimus, commendantes *Rich. Simonij* industriam, qui in annotationibus de Theologia Christianorum Orientalium ut & Mahometanorum, Gallicis, subiectis *Hieronymi Dandini* Jesuitæ itinerario ad montem Libani ex Italico gallice verso, ut & in *Historica Critica* gallice conscripta de Religione & ritibus populorum Orientalium, observat, minus rectè etiam inter suos fieri, quod Ecclesiis illis Orientalibus errores dogmatici impotentur, qui fere ex sola terminorum scholasticorum ignorantia exculpi soleant. Sic & porro à Theologis quibusdam adducitur exemplum *decimati in lumbis Abrahamiticis Levi à Melchisedeco*, Ebr. VII. v. 10. ut inde probent quod peccare potuerit genus humanum in lumbis Adami existens. Quamvis vero aliqua hic similitudo piè ostendi queat, cum argumentatione à minori ad majus, si tamen peccaverint, qui forte æqualitatem hic quærent. Nam illi non intelligunt idem utrobique fundamentum, cum alia ratione proprietatis dicatur *decimatio de Levi*, in lumbis Abrahami, alia vero attributione peccatum de toto genere humano in lumbis Adami existente. Nam obligatio dandi decimas *Melchisedeco* est (1.) tantum moralis neque eadem (2.) necessitate transfertur à Parentibus in filios, qua necessitate transfertur habitus peccati Originalis. Obligatio enim quæ ad culpam originalem obligatur totum genus huma.

humanum est (1.) Naturalis & transfertur (2.) in posteros per naturalem generationem, non per legem positivam, uti obligatio ad dandas decimas. Hæc observatio non parum facit ad verba maxime dubia *B. Danbauri* in *Hodolophia* p. 074. illustranda. Nam h. l. *B. Danbauri* adductæ sententiæ ad stipulari videretur. Cæterum neque porro inficiamur, quod à Theologis nonnunquam in systematibus loca ad probandum aliquod dogma fidei non parum utilia omitti soleant, cuius tamen rei rationem cuique facile permittimus. Nescio an huc quoque referri possit locus eximius *Jobi* IV. 21. qui licet agat de peccato *Originis*, aut raro tamen, aut plane non adducitur. *Nonne, inquit, Eliphas, proficiscitur excellentia illorum, quæ inerat illis? moriuntur ac non vivunt sapientiâ?* In fontibus exstat vox רַחֵם quæ non incommodè denotat concreatam illam excellentemque justitiam, pessime ab hominibus deperditam. Sic porro recte ex *Joh. XVI, 13.* Sp. Sancti processio probatur à Patre & Filio: *Cum autem, ait Christus, venerit ille Spiritus Veritatis, docebit vos omnem veritatem, non enim loquens à semet ipso, sed quæcunque audiet, loquetur, & quæ ventura sunt annuntiabit vobis.* Quis illud esse conseqvens non videret, si, quod ait Christus, *omnia, quæcunque habet Pater, mea sunt*, hic ille subest sensus, *Essentia Patris mea est*; etiam alterum de meo accipiet, idem valere, ac, de mea Essentia accipiet. Porro accipere de Essentia Patris vel Filii Sp. Sanctum, quid esse potest aliud, quam procedere de Patre vel Filio? Non enim Persona una ab altera in divinitate quidpiam accipit, nisi ab ea procedendo, ne novum aut adventitium aliquid in divinam personam derivari putetur. Hæc loci totius explicatio, ita ab antiquitatis eruditæ Patribus expressa est *Athanasio, Chryostomo, Basilio, Didymo, Cyrillo, Ambrosio, Augustino, Hilario* & cæteris fere, qui illum *Johannis* locum tractarunt. vide *Dionysium Petavium* lib. III. de Trinitate cap. 8. Quod ansam dedit quibusdam etiam nostris Theologis, ut eo loco in hac materia uterentur. Accedit & hoc quod Theologi nostri, dicta quæ firmiter dogma fidei asserunt, adducant quidem, *non tamen semper ex antiquitate, quæ* magnam

288

magnam tamen lucem non raro affundit, exponant. Indicio iterum sit dictum *Jacobi I. v. 13.* quod ad demonstrandam DEI immutabilitatem adduci solet. Non inelegans videtur hic *Georgij Bulli* explicatio in *Harm. Apostol. Jacobi & Pauli* dissertat. II. c. 15. Dicit à *Jacobo duplicem Pharisæorum errorem* perstringi, cui illi & fato & astrorum influxui actiones humanas imputarint: errorem de fato, qui saltem consequenter DEum autorem peccati facit, à *Jacobo v. 13.* refutari, cum ait: *Nemo cum tentatur, dicat se à DEO tentatum*: alterum vero errorem de astrorum influxu *v. 17.* impugnari, ubi *Jacobus* dicit: *omne bonum & perfectum donum non ab astris dependere, sed à Patre luminum, h. e. Creatore stellarum descendere, apud quem nulla πικρα λ. λαιγή ἢ Ἰερωνῆς ἀποσκίασμα*, quales mutationes & vicissitudines in astris venire solent. Quamquam enim non solis Pharisæis talis error convenit, valdè tamen notabilis in iisdem eo tempore ille fuit, multisque Christianis, qui Pharisæos audiverant, adhæsit. Num *Christus Joh. V. v. 39.* locutus, *Essenos* respiciat summos S. Scripturæ cultores, & an ex ipsorum doctrina hic locus quæat illustrari, altioris foret indaginis, certè *Celeb. Anglus Bruno* in dissertat. de *Therapeutis Philonis Valesio* opposita & à *Colomesio* edita, haud contemnenda hanc in rem affert. Idem dicas de *Locis*, quæ agunt de *Filii πικρα λ. λαιγή* atq; apparitione ante *Mariam* in *V. Testamento*. Cum communiter asseritur, *Angelo*, qui *Mosi* apparuit, nomen *Jehovæ* & divini honores tribui, cumque fuisse *DEI* Filium, id duplicem sensum admittit, nempe vel fuisse *DEum*, i. e. *Filium DEI* nomine *Angeli* significatum, qui ipse corpus assumerit, vel *Filium DEI* adfuisse *Angelo* h. e. *Angelum* fuisse, qui corpus assumpsit & *Filium DEI* fuisse apud *Angelum* per assistentiam nempe & præsentiam singularem. Posteriores sententiam multi amplexi sunt ex *Veteribus*, tam *Judæis*, ut *Trypho* apud *Justinum* p. 282 & *Philo Judæus*, quam *Christianis*, *Athanasius*, *Hieronymus*, *Clemens Alexandrinus*, *Augustinus* & *Fulgentius*. cont. *Georgium Bullum* in *Defensione Fidei Nicenæ* sect. I. c. 1. §. II. Et sane posterior sententia non omninò improbableis vi-

detur, quandoquidem, quantum ad apparitionem, mentio fit
 angeli Domini, quantum ad sermonem, ipsius DEI & Jeho-
 vā. Et ipse Stephanus non obscure docet, Angelum fuisse,
 qui Mosi in rubo apparuit, Act. VII. 3. collato Exod. III. 2.
 cum v. 4. --- 6. sqq. Atque hanc sententiam Veterum omnino
 confirmare videretur locus ille Exod. XXIII. v. 20. si loquens
 ibi DEUS, foret DEI Filius, ut vel ipsa sentit antiquitas primæva.
 Ibi persona Mosi locuta, promittit se Angelum præmissurum
 populo, per desertum, & futurum nomen suum in medio ejus
 בקרו. Foret itaque revera Angelus, qui Populo Israelitico
 præverit ad terram promissam, sed Angelus tamen, in quo Filius
 Dei Nomen seu Virtutem ac potentiam suam divinam posuit
 h. e. cum quo singulari modo præsens fuerit. Veruntamen quia
 connexio apud alios, non sine aliquo momento, loquentem illum
 ostendit totam fuisse SS. Trinitatem, apud alios primam Patris
 personam, hoc argumentum non ita vehementer urgeri opus est.
 Denique aliquid notari potest in adductione locorum S. Scriptu-
 ræ, quæ non sunt parallela. Sic observandum in Doctrina de peccato
 in Sp. Sanctum, quod caute seligenda sint dicta, in quibus ejus
 natura indaganda est. B. Hülfemannus, Vindd. Locor. Script.
 articul. XXIX. oper. posthum. fol. 97. dicta Matth. XII. 1. Ebr. VI.
 4. 5. censet principalia, omittit Ebr. X. 29. & dum illum, è c. VI.
 locum quoad parallelismum huic ultimo præferendum putat,
 dissentiens est ab aliis Theologis, qui hunc locum antea citatis
 addunt & illi è capite sexto etiam præferunt. Sic in explicando
 Ebr. VII. 27. ubi dicitur, *cui non sit quotidie necesse, sicut illis Ponti-*
ficebus, prius pro propriis victimas offerre, deinde pro peccatis populi,
 tanquam parallelum citant Lev. XVI. 6, ubi legitur Pontificem
 Hebræorum Summum prius pro proprio peccato in Festo Ex-
 piationum immolasse juveneam, deinde pro peccatis populi ce-
 cidisse hircum. Quamvis autem non inficiamur, quod antenus
 his victimis illustrari comma nostrum, tamen quia eadem
 semel quotannis cædebantur, & insuper hic de quotidianis obla-
 tionibus sermo esse videtur, res indagari debet altius, & quæ nam
 illæ quotidianæ oblationes Pontificum summorum fuerint, evol-

vi. Erant autem illæ quotidianæ oblationes duæ, quoniam sacerdos summus singulo mane pro propriis peccatis offerebat munus in sartagine coctum, & quidem dimidiam partem, alteram autem partem dimidiam offerebat in sartagine coctam vesperi. Deinde præter muas hoc in duas divitum partes pro peccato summi Pontificis oblatum, offerebatur quoque jube sacrificium matutinum s. agnus quotidianus pro peccatis populi cæsus. Cumque jube sacrificium munere libaminum carere non posset, illud cum munere sartagine Pontificis summi confundi non debet, si quidem hoc pro Pontificis summi erroribus, illud autem pro populi erroribus, quos commiserat, exhibebatur. vid. *Lightfootus* in libro Anglico, *The Temple service as it stood in the dayes of our saviore*, edit. Lond. in 4. p. 62. & cui hæc debemus, *Dn. Dassovius* dissert. l. de Emphasi sacrarum vocum p. 41. seqq. Quod tamen circa negotium alii observare volunt, in versiculo citato, non tam de quotidiano offerendi actu, quam de quotidiana sic offerendi indigentia sermonem esse. De levioribus interdum probationibus, quæ ope Philologiæ adducuntur, prolixa non addo, tantum observo, nonnunquam a Nostratibus articulum δ , η , $\tau\delta$ tanquam singularem Emphasin habentem adduci, cum eo in loco emphasis non sit singularis. Sufficiat jam *Scherzerus* qui in *systemate* p. 217. & 813. talis cæteris, minus firmiter ex articulo etiam illo argumenta deducit. Non semper tuto confiditur in hujus articuli emphasi, quippe quæ interdum planè nulla est. Qui igitur nimis illi tribuunt, facile emphasin perdunt, dum emphasin quærun. Quin imò inepta est & inanis hæc de articulo contentio, in quo nimis odiose ac putidè olim confictari solitus fuit *Beza*, tanquam ubique $\epsilon\mu\phi\alpha\sigma\iota\kappa\omega\varsigma$ usurpetur græcus articulus, teste *Peravio* Lib. III. cap. 8. §. 13. & *Sandius* observante *Samuele Gardinero* in Hypotyposi s. Catholicæ doctrinæ circa S. S. Trinitatem delineatione part. 2. p. 195. cont. *Ernstii* Observat. Philologicas.

§. III. Hæc atque alia plura in Systematibus emollienda esse non inficiamur, attamen ideo non rejicimus, sed potius recte asservamus, interdum mutantes, interdum exculantes ea, quæ

quæ minus commode dicta sunt. Quis non magni facit Syttemata Veterum, ut *Clementis Alexandrini Pædagogum*, *Cyrilli Hierosolymitani Catecheses*, *Origenis libros τῶν ἀρχῶν*, *Evagrii Pontici problemata Gnostica*, *Gregorii Neocesariensis & Athanasii libros de Deo*, *Lactantii Institutiones*, *Basilii M. expolitionem fidei*, *Augustini confessiones*? at vero quot & quanta etiam in illis sunt ignoratæ ipsius antiquitatis vel Philologiæ S. Specimina. Cæterum præter adducta Syttemata Patrum eruditus Lector perlegat Veterum libros allegoricos mysterii doctrinalis in sensu allegorico tradentes, ut quosdam *Origenis* libros, *Marci Eremitæ de Paradiso & spiritali lege*, *Gregorii Nysseni Historiam Molis*, *Ambrosii scripta pleraque*, *Sedulii comparisonem V. & N. Testamenti*, & in iisdem non pauca *παρρησιαί* inveniet.

§. IV. *Iberius* ergò à *S. Amore* observare debebat, sicut homines sunt homines, ita ob unum aliumque nævum in Philologia & re antiquaria, uno aliove in loco etiam in Syttematibus admittum, pios eorundem autores non esse acerbe castigandos, cum & in ipso satis supersit passim, quod easdem ob causas notam mereatur.

CAP. II.

De Studio Antiquario Theologo Syttematico maxime necessario, præsertim etiam in expositione phrasum dogmaticarum.

§. I.

Quando hic commendamus studium antiquarium, intelligimus *Polymathiam elegantiore*, non illam suspectam ac inanem *Polymathiam Petri Blanchotti*, *Casparis Knittelii*, *Raimundi Lullii*, *Gemma Frisii*, *Gregorii Tholosani*, *Agidii Moncurrij*, *Petri Hieronymi Sanchezii*, *Sebastiani Itzquirdi* aliorumque, de quibus prolixè à *Dn. Preside meo* actum fuit in Procæmio Collegii *Polymathiæ S. Msc.* Premimus autem hic laudanda Patrum vestigia. Sic *Clemens Alexandrinus* in sexto *Stromateon* longa disputatione probat Christianum sapientem, quem

quem *γρηγοριανὸν* ideo vocat, humaniorum disciplinarum scientem esse debere & elegantiae & nitoris amantem. *Origenes* Homilia in Exodum II, obsterribus Ægyptiis disciplinas illas externas comparat, quibus mens ad divina intelligenda paratur. Scripsit de eodem argumento præclarum librum *Synesius*, qui *Dio* inscribitur, ac mira varietate & copia sententiarum & argumentorum probat, homini Theologo non deesse debere ornatum humanioris doctrinae, ut sit undecunque perfectus. Luculentam porro ac pulcherrimam explicavit hac de re disputationem *Hieronymus* in Epistola ad Magnum Oratorem Romanum Epist. 84, col. 927, conf. omnino *Dionysium Petavium* in Prolegomenis ad opus Theologicorum dogmatum c. VIII. §. 6. p. 21. seqq.

§. II. Objicere nobis aliquis poterit auctoritatem *B. Scherzeri*, qui paulo iniquiorem censuram in antiquarios exercere videtur, in præfat. ad Collegium suum Anti-Socinianum. Verba hæc sunt: *qui profanis ac ne titivillitio quidem emptitandis nugis, ingenium, sumtus, otium, totamque vitam prodigunt, veteres domi suæ latrinas digerunt, antiquatam ex recenti pipere muscerdam eruunt, fragmenta lapidum, quos Meliteus olim catellus perminxerat, expoliunt, maleque coherentes, quibus mus puerperus operuit suos, fescennini cujusdam ex densa gentilitate scurra verius quam scriptoris lacinias coordinant, statua inaurata digni proclamantur.* At vero quilibet videt ex hisce verbis, *Scherzerum* perstringere abusum critices & quasi digitum intendere in *Thomam Reinesium* Philologum Gothanum, cum quo lis fuit *B. Scherzero Hulsemanni* causa, quique ediderat dissertationem de *Deo Endovillico* plane hæcenus ignoto. * *Eundem sensum* admittunt verba *Adriani Turnebi* & *Briani Waltoni* adducta à *Werenselfio* in dissertat. de *Logomachiis* p. 15. seq. Acriori autem studio Criticam aggressus est celebris *Gallus Carrelus* in libro Gallico, cui titulus: *La science Ecclesiastique suffisante elle meme sans les secours des sciences profanes, usum abulumque misere confundens.* conf. *Bernardi* *Nouvelles de la Republique de lettres* Anno 1700. p. 630.

§. III. Varium autem usum præbet in Theologia Systematica studium antiquarium, quemadmodum sedulo antiquitatum scrutatori

B benè

* *Græbius* eam una cum alijs dissertationibus in peculiari Syntagmate recudi fecit.

bene constat. Nam ex illo illustrantur ferme omnes partes Theologiae systematicae, seu dogmaticae seu polemicae seu exegeticae spectes. Inprimis de *Theologia Exegetica* tam aperta res est, ut insanus videatur, qui amplius hac de re dubitaverit. Sic vel in uno N. Test. ex antiquitate Hebraica illustrando (etiam quoad phraseologiam dogmaticam) operam egregiam collocarunt, *Joh. Buxtorfius* in Lexico Talmudico, *Christoph. Cartwrightus* in Mellificii Hebraici lib. II. & III. *Lud. & Jacob. Capelli* in suis ad N. Testamentum Observationibus, *Joh. Drusus* in Præteritorum libris, *Joh. Henricus Hottingerus* in Primitiis Heidelberg. dissertat. III. *Gilbertus Gaulminus* in Notis ad librum de morte Moïsis (quibus & sæpius promittit librum de ritibus Judaicis N. T.) *Angelus Caninius* de locis Hebraicis N. T. *Joh. Seldenus* in opere de Synedriis & aliis scriptis, *Joh. Gregorius* in Observationibus anglice scriptis, deinde latine versis, *Ed. Pocockius* in Miscellaneis, *Lud. de Dieu* in Notis ad N. T. rariusculis, *Joh. Camero* in Myrothecio, *Alexander Morus*, *Hugo Grotius*, *Dan. Heinsius*, *Paulus Fagius*, *Henr. Ainsworthus*, *Balth. Scheidius*, *Joh. Lightfootus* aliique. Ex horum Virorum scriptis doctissimis operæ pretium foret, phraseologiam S. dogmaticam illustrare, præsertim cum multæ sint, quæ ex ritibus Orientis debent exponi.

CAP. III.

De Abusu Antiquitatum in expositione phrasum dogmaticarum.

S. I.

JAm Specimen oculis B. L. subjiceremus, at vero hic quædam dubia nobis moveri possunt, circa ipsam methodum phrasum dogmaticas ex ritibus illustrandi. Nempe obijci posset, nos hac methodo nostram viam ad Socinismum aperire. Sic ut res exemplis clarior fiat, ex recentissimis Socinianis, *Gallus quidam Anonymus* in libello gallico, cui titulus: *Le Platonisme Devoilée*, nihil aliud intendit, quam ut hac methodo egregia S. Scripturæ pro Christi Deitate Oracula eludat. Docet nempe, quod dicta V. T. in N. T. ad Christum applicentur non in sensu literali, sed tantum analogico, more populorum Orientis, vel minus proprie & hyperbolice. Eadem methodo *Grotius* Socinismo non exigua suppeditavit subsidia, uti ex Bibliis illustratis *Calonii* pluribus videre

videre licet. Indicio erit vel saltem unici loci *Ebr. II. 16.* de assumptione feminis Abraham depravatio. Vocem *ἐπιλαμβάνεσθαι* exponit per vindicare, reipiciendo ad morem illum, quo solebant manu apprehendi, qui è servitute aut vinculis educebantur, teste *B. Baiero* in *Dissertat. ad h. I.* Eadem methodo *Grotius* detorquet *Zach. IX. 11.* ad agnum Paschalem & *Egyptiacam* servitutem, rectè ideo notatus ab *Huetio* in *Demonstrat. Evangel. p. 969.* *Grotii* methodum in quibusdam sequitur *Coccejus*, v. gr. eundem locum *Zach.* miserè ita torquet, ut dicat per lacum Prophetam significasse lacum ceremoniarum & rituum *V. T.* in quibus nulla consolationis aqua, è quo *Christus* per effusionem sui sanguinis liberavit *Ecclesiam*, observante *Hülffo* *P. I. speciminum Theol. Hypotheticæ p. 220.* Sic & priorem locum ad *Hebræos* *Grotium* secutus detorquet una cum locio *Witsichio* tum in *Theol. Pacificæ. XX.* tum in investigatione *Epist. ad Hebræos.* Idem iudicium esto de *Job. Douglbei* *Analectis sacris, Zach. Bogani* *Homero Hebræizante* * (quos *Dn. Mayerus*, in *Dissertat. de Criticis Anglicanis, Novo Criticorum Tomo*, cujus sciagraphiam exhibet, inferi cupit) *Job. Lightfooti* *Horis Talmudicis*: quorum ille ex nimio antiquitatum profanarum amore, hic ex nimio Rabbiorum scripta legendi studio, minus feliciter *Exegesi* sua *S. Scripturam* illustrant. *Olai Rudbeckii, Antonii Bynæi, Jacobi Bolducci, Petri Poiræti, Job. Turneri, Henrici Dodwelli,* & aliorum *παροξύματα* ferme ex eodem fonte pronata, de quibus prolixè egit disseruitque *Dn. Præses Meus P. II. Collegii Exegetico-Biblici*, qua *L. Philologorum Paradoxorum recentiorum* scripta examinantur, huc quoque a dissentiente adjici possent. Cæterum adhuc aliud dubium moveri potest, quod nempe, si liceat, ita phrasès dogmaticas ex ritibus exponere, idem quoque licitum fuerit *Autori Anonymo* (*Hermannus Deusingius* creditur) qui *Hagæ 1682.* edidit *Prodromum Corporis Theologiae*, docuitque in illo scripto, in *Exegesi sacra Orientalium*, in primis *Egyptiorum ac Chaldaeorum mysticam philosophandi rationem*, maximum usum præbere.

§. II. Hæc atque alia dubia objici poterant, nunc videbimus, an ullius sint ponderis. Quod ad objecti *Socinismi* suspicionem attinet, docemus (α) nos alio fine ritus exponere in phrasibus dogmaticis, alio fine *Socinianos*. Nos non investigamus ritus, nisi ubi

B 2

sele

* conf. *Jac. Cappellum* in *Vindic. pro Is. Casaubono c. II. & Merisum Casaubonum* de *Schreveliana* *Homeri* edit, p. 46.

se sponte oculis nostris offerunt, hi paulo longius petunt ritus. Nos utimur antiquitate rituum, ut adstruamus veritatem, illi ut destruant. (B) Testamur nos nisi Apostolos sequi, quando ritus in dogmaticis phrasibus exponimus. Solent enim Viri Θεολογοί (quod bene observandum est,) respicere indogmaticis ad illos ad quos scriptum directum est. In Epistola ad Romanos Paulus doctrinam de Justificatione expositurus, multa affert de ritibus adoptionis, de legibus, de Justitia & foro judicii *. In Epistola Ima ad Corinthios, qui Græci erant, probaturus doctrinam de studio Evangelii &, ut quidam existimant, de Exercitio bonorum operum, illo in loco utitur phrasibus in Ludi Græciæ maxime usitatis **. In Epistola ad Hebræos doctrinam fides de Jesu summo sacerdote expositurus multa loquitur de ritibus purgandi & sanctificandi. Rectè igitur B. Schomerus in Collegio Novissimarum Controversiarum p. 40. ait: *Deus nobis rectius novit, quæ forma divinarum literarum humanis ingenis, (quæ varia sunt nec uno modo informanda) melius conveniret: præsertim cum videatur nihil tam plane aut methodice scribi potuisse, quo abusuri non fuissent protervi lectores.* Porro, quod ad alteram objectionem attinet, de mystica S. Scripturam interpretandi ratione, quæ locum itidem habere videtur, si S. Scripturam ex ritibus explicare liceat, regerimus, magnam esse disparitatem inter utrumque commentandi genus. Quod ex ritibus dogmaticis phrasibus nonnunquam illustrare sit integrum, paulo antea fuit probatum, num idem de mystica explicatione asserendum sit merito dubitamus. Equidem multa loca S. Scripturæ, quoad phraseologiam ita illustrari posse non negamus, at inde confingere mysticam S. Scripturam interpretandi methodum, per absurdum est, & prodit inscitiam Philologi in eruenda κατανόησις S. Scripturæ non bene verlati. *Ignis à peritioribus Chaldeis colebatur non quasi Deus, sed quasi Dei Symbolum, seu imago ut ex eorum Theologia apparet, judice*

* Non tamen inde probari potest, quod libri Scripturæ tum Vet. tum N. T. ad homines illos tantum pertineant, ut recentiores Pseudo-Philologi statuant ap. Seligmannum in Dissert. Inaugurali de sentiendi & credendi Liber. sinismo §. 12.

* Quod si hoc penitius inspexissent Theologi Batavi, qui Judicia super Criticam Simonis dederunt, non tam stupidi forent, ut negarent Epistolam Pauli ad Romanos dirimere controversias de Justificatione & Prædestinatione.

** Conf. hic præter B. Sauberti Prodrorum, Jac. Lydii Agonistica S.

292

dice Clerico in indice Philologico ad *Stanleji* Historiam Philof. Orientalis. Ignis sacra facientibus saltuarim per cœlum profundum appa-rens, *symbolum Numinis Præsents* vide *Thomæ Stanleji* Historiam Philo-*sophiæ Orientalis* lib. I. tect. 2. c. 17. Talis illi censetur ignis, qui in monte Sinai apparuit, ut colligit ex *Exod. XIX. & XX.* ubi dicuntur tuisse faces & fulgetra. Faces Hebræi dicunt לפידים *Lapphidim*, quæ vox videtur significare eo loco exhalationes sulphureas, quæ σκιεπυδῶν, ut loquitur *Orculum*, per cœli profunda micabant, iudice eodem *Joh. Clerico* in *Indice Philologico* ad *Stanleji* librum jam adductum, conf. hic illustranda loca *Ezech. I. 4.* & *Exod. IX. 24.* *Chaldaei* lumen interdum *supramundanum* Deum vocabant: at *Paulum* ex opinione *Chaldaicæ* simili locutum quis crediderit. *1. Tim. VI. 16.* Ubi Deus illi dicitur Θεὸς οὐκ ἐὶν ἀπερίσπτον. *Oromazes* a *Chaldæis* dictus est summus Deus, quod נורמנרין *Oromaze* *Chaldaice* significet ignem splendens, ut satis apparet ex iis, quæ habet *Stanlejus* Lib. I. Sect. II. c. 1. Hebræi Deum quoque instar ignis metaphoricè describunt: Quærant eruditi, inquit *Clericus*, *Chaldæine* an Hebræi primi ita locuti fuerint? *Chaldæi* existimabant menti adesse semper corporeum ὄχημα, *vehiculum*, quod eorum *Philosophiæ* græci Interpretes appellarunt εἰδώλα nomine. Videntur *Judæi* & *Christiani* *Scriptores*, qui *Numina* *Ethnicorum* εἰδώλα nomine affecerunt, non tantum respexisse ad eorum imagines, sed & ea etiam appellatione usos, quod *E. hnicij* εἰδώλοις νεκρῶν, qualia erant pleraque ficta *Numina*, sacra facerent. Hinc videtur etiam *Paulus* *Cor. VIII. 4.* ex iudicio *Clerici* dixisse εἰδῶλον esse εἶδεν, *Idolum* esse nihil h. e. *evanidam umbram*. Cæterum idem *Paulus* de verbis ἀρρήτισ locutus, intelligit summa mysteria inter cœlites divinitus declarata, & videri potest tacitè simul respexisse ad *Pseudoapostolorum* tum temporis *fastuosa* quædam at nullius ponderis ἀρρήτα, meritò repudianda Iaq; e. gr. vel ad innominabilia *Simonis Magi* ac *Gnosticorum*, ut vocat *Irenæus*, nomina lib. III. c. II. h. e. multos *Æones* *Gnosticorum* inter primum Deum & mundi fabricatorem, vel inania & nova vocabuila, quæ *Simon Magus* an iqviorum *Magorum* more, ut ex *Magicis* *Oraculis* ab *Opsopæo* ditis manifestū excogitavit. respexit. cont ὁμοψυχίας *Estium*, *Megalianum* atq; *Essen-*

Especaum ap. *Dn. Itigium* disertat. de Hæresarchis p. 38. Breviter: ut dicam quod res est, observante *Petro Daniele Huetio* in libro de Origine fabularum Romanensium Sacra Scriptura ad genium linguarum Orientalium se accommodat, ita tamen ne vel simplicitati atque infallibilitati, nec sanctitati ejus aliquid decedat. Plura ad illustrationem locorum N. Testam. suggerere potest *Gaulminus* in Notis ad *Marci Monachi Mesopotameni* loca de Dæmonibus a *Pfello* ornatiùs consignata & congesta, non tamen in illum finem, ut mystica S. Scripturam interpretandi methodus approbetur, vel cum *Dodwello* (quem citat. *Joh. Clericus* in Indice Philologico ad Historiam Philosoph. Orientalem *Stanleji*) in Epistola II. Anglica de Studio Theologico §. 8. statuatur, *Oviocriticam Chaldaicam* fallacem semper fuisse, qua Deus sese accommodavit, in futurarum revelationum eorum opinionibus.

CAP. IV.

De Antiquorum Patrum Philologia phrasés dogmaticas ex Analogia rituum exponentium.

§. I.

Anteqvam adducam phrasés dogmaticas aliquot ex Analogia rituum exponendas, monenda quædam sunt de Autoribus præcipuis tum antiquis tum recentioribus, qui Phraséologiam Dogmaticam ita explicandam esse censuerunt. Jam ex antiquis ipsimet *LXX. Interpretes* in versione sua hanc analogiam rituum non neglexerunt. Sic quod *Pi. XL. 6.* in fonte habetur, *aures mihi perforasti*, *LXX.* reddiderunt *σώμα κρητισω μοι*. Sicut enim auris perforatio ap. Hebræos perpetuæ servitutis signum erat, ita gentiles sua mancipia *σώματα* vocarunt; ideoque etiam *DEUS* filius assumpsit *σώμα*, ut servus fieret, conf. *Es. XLIX. 35.* & *Joh. Claudii Ocyvres posthumes* T. II. lib. II. de Christo pag. 140.

§. II. Altius igitur repetenda est antiquitas hujus doctrinæ, quam quidem visum fuit *Phorio* Cod. CV. & *Petavio* lib. II. cap. V. de opificio sex dierum, §. III. p. 163. Nam uterque asserit Allegoricam omnem enarrandæ scripturæ rationem (quò & Analogia rituum

spe

243

spectat) in Ecclesiam ab illo, ceu fonte manasse, at vero falluntur boni viri, Nam uti ex *Triglandi* dissertat. de *Carais* p. 88. apparet, jam dudum ante *Philonem*, *R. Simcon ben Setah*, huic methodo operam impendit. Conf. Dn. *Præsidis* mei dissertat. de *Baptismo Profelytorum* c. III. §. 4. p. 44. Imò ipse *Philo Judæus* in libro de *Therapeutis* docet, ante se jam dudum Veteres Judæo ita solitos fuisse S. Scripturam interpretari. Apostoli deinceps se se attemperarunt Judæis ad fidem Christi conversis, ad veteris ejusmodi interpretationibus, uti jam supra innuit cap. III. §. 2.

§. III. Vetustissimum porrò autorem habemus *Barnabam Apostolum* in Veteri Ecclesia, cujus Epistola magni temper æstimata fuit apud Patre. primavæ Ecclesiæ. In hac videre licet, multas phrasas dogmaticas ex Analogia rituum probe expolitas. Num autor intenderit *Gnosticos*, qui utiusmodi sensus mysticos libentissime accipiebant, confundere & *Pseudopius* *γνώσεως* reos agere, uti docent *Hammondus* in dissertat. Proœmiali de jure Episcoporum, *Bullus* in defensione Nicænæ Fidei sect. I c. II. §. 2. *Stephanus Le Moynie* in variis sacris p. 600. hic non definitio, certum tamen est, autorem illum non sine gravibus causis hoc argumentandi genere uti, * contrà quam visum fuit *le Moynio*, qui in epistola dicta scripturæ ab eodem expolita esse, falso judicat. Contentientem cito *Job. Pearsonium*, qui in operibus posthumis lect. II. in priora quædam capp. Act. Apost. dicit, nihil in illa Epistola apparere, quod eam ætatem non ferat, etsi neque Græca neque Latina integra esse agnoscat. Ad quæ postrema verba insuper monendum, quod observet *Dodwellus* dissert. I ad *Irenæum* in Barnabæ Epistola partem postremam ex didascalica quadam Apostolica appositam. Paulo post *Clemens Romanus*, qui teste *Irenæo* lib. III. c. 3. & vidit ipsos Apostolos & contulit cum eis, cum adhuc insonantem prædicationem Apostolorum, & traditionem ante oculos haberet, in Epistola sua I. ad *Corinthios*, passim istiusmodi metho-

* Ex *Hugonis Menardi Benedictini* sententia, quæ passim luculenter exponitur in Notis ipsius ad Epistolam *Barnabæ*. *Barnabas* contra Judæos conversos adhuc Galatizantes h. e. legem Mosaicam in Evangelio retinendam putantes acriter disputat. Idem purant *Lucas d' Achery* icid. *Benedictinus* in Præf. ad edit. *Menardi* & *Job. Baptista Coelesterii* dum operibus Patrum qui Apost. ætate floruerunt, *Barnabæ* Epistolam inseruit.

methodum phrascs dogmaticas ex Analogia rituum exponendi ostendit. Secutus est hac in re procul omni dubio *autorem Epistola ad Hebræos*, utpote *cujus phrascs frequentissime adhibet*, observante post *Hieronimum*, aliosque *Veteres*, *Clementis* editore *Junio*, qui solide id ex multorum locorum collatione probat.* Speciminis loco hæc sufficiant annotasse. Difficilis est locus in *Epistola Pauli ad Philippenses II. v. 6.* *Calviniani* per *μορφὴν ἑ θεῶ* ipsam naturam divinam intelligunt, at vero, quod hac in re fallantur, testatur *Clemens*, qui egregie ex analogia ritus cujusdam *Paulum* explicat. Quod enim ibi apud *Paulum* est, *ἐν μορφῇ θεῶ ὑπάρχων*, hic apud *Clementem* illustrat, τὸ σκῆπτρον τῆς μεγαλοσύνης ἑ θεῶ: Quod ibi dicitur: *ἐχ' ἀρπαγμὸν ἠγάσαστο τὸ εἰναῖ ἰσοῦ θεῶ*, id hic est: *ἐκ ἡλθεῖ ἐν κόμπῳ ἀλαζονείας, ἔθε ὑπερηφανείας καὶ περ δυνάμενοι*. Et quemadmodum *Paulus* Christi condescensionem ex eo commendat, quod, cum in forma DEI esset, non ostentaverit suam cum DEO *ἰσομίαν* (id enim inter alia quoque significant verba *ἐχ' ἀρπαγμὸν ἠγάσαστο εἰναῖ ἰσοῦ θεῶ*) ita *Clemens* docet, Christum, cum re vera, sceptrum Magnificentiæ ibi fuerit, suam tamen Majestatem, dum ad homines veniret, occultasse. Denique *Pauli* ἐκένωσεν ἑαυτὸν convenit cum *Clementis* ἐπαπεινοφρόνησεν, sic tamen ut τὸ φερεῖν in hac voce dextrè & singulari cum emphasi urgeatur, cum notum sit, nec κρῦψιν, nec ἑπαπεινώσιν sufficere, sed κένωσιν aliquid majus continere. Hac igitur locorum collatione ex primâ Antiquitate adversus *Reformatos* nulla aptior excogitari potest. Non ita multo post *Clementem*, *Hippolytus* Episcopus & Martyr, ut & *Tertullianus* ex eadem rituum analogia phrascs dogmaticas exposuerunt. Uterque respiciens ad *i. Tim. II. 5.* ubi dicitur unus DEUS, unus & Mediátor DEI & hominum *Jesus* Christus, vocem *θεοῦ* inde interpretatur. *Tertullianus* quidem in libro de Resurrectione carnis *c. 51. sequestrem* vocat Christum, ejusque vim declarans utriusque partis *depositum* ab illo servari dixit. Facile equidem unusquisque videt, non simpliciter duas has voces æquipollere, non tamen deest, recte si explicetur, aliqua con-

* Sic egregie v. g. ex more *Autoris Epistola ad Hebræos*, Christum vocat ἀπαύρασμα τῆς μεγαλοσύνης ἑ θεῶ.

convenientia, quamvis per omnia nomen sequestris hoc in loco non
 conveniat. Hunc enim optime nominari sequestrum docent Juris
 Consulti, apud quem plures rem, de qua controversia est, depo-
 nunt. Quam notionem judicat *Petavius* lib. XII. de incarnatione c.
 II. §. I. apprimè quadrare in Christum, quippe in quem utraqve
 natura convenerit, quasi ab litigantibus duobus virum collata: id
 quod tamen in *Petavio* quoque non sine grano salis intelligendum.
 Quod autem insuper carnem Christi arrabonem *Tertullianus* vocat,
 id eo sensu *Petavius* putat interpretandum esse, quod pars sit totius
 hominum speciei, ejus integra substantia carnis vocabulo censetur, unde
 & *Apostolus* Eph. II. 6. à *Petavio* citatur dixisse convificatos & con-
 resuscitados nos omnes homines in Christo esse, atque in cælo con-
 cessores ad Patris dextram, quoniam substantiæ nostræ portio id in
 sequestre nostro consecuta sit: *ubi & addit, quod arra vel arrabo sit
 pars aliqua summæ vel pretii totius, quæ in antecessum ab emptore
 repræsentatur. Ad quæ ejus verba probè tamen observandum, quod
 circa citatum locum *Eph. II.* *Petavius* non parum erret, id quod
 inspicienti facile patet. *Hippolytus* ap. *Leontium Byzantinum* lib. I.
 contra Nest. & Eutych. tom. 4. Bibl. col. 974. *Tertulliano* consentit,
 oportebat ergo, inquit, ut Christus factus Mediator DEI & hominum ab
 utrisque arrabonem quandam acciperet, ut appareat Mediator duarum
 naturarum. Utinam *Ariani* hanc analogiam ritus observassent, non
 adeo temere docuissent Christum ideo *Μεσσην* vocari, quod mediæ
 cujusdam inter DEum verum esset, hominesque substantiæ, quæ ut
 his antecelleret, sic illo esset inferior longè, quod veluti *medi-
 oximus* quidam & ad conditionem nostram propius accedens DEUS,
 qui & naturæ inferioris parti pati consortium posset, & ad usum no-
 strum & commercium magis opportune factus esset. Idem de *Eu-
 sebio Casariensi* optandum. Nam, si is ex antiquitate ritus vocem
μεσσην expoluisse, non tam inepte in veram de Deitate Christi sen-
 tentiam impegisset, uti videre licet ex ejus *akyrologiis* ap. *Petavium*,
Bullum, *Clericum* & *Caveum* obviis.

§. IV. Neque vero credendum est, tantum prioribus seculis
 hanc fuisse Patrum methodum, & veluti illo tempore maxime ne-
 cessariam *συγγνωσθαι*. Certe Patres quoque reliqui eadem Vete-
 rum vestigia sunt secuti. Sic Patres in articulo de Christo & quidem
 C de

* Nam quam plurimi Patres Græci statuebant à Christo esse assumptam
 hum. Naturam; non singularem; sed universalem. Vide *Petavium* lib. II. de
 Incarnat. c. 3. §. 10.

de mutua communicatione proprietatum s. idiomatum sibi placue-
 runt in voce ἀντιδοσῶς, quā illam mutuam communicationem ex-
 primerent. Olim enim apud Athenienses ἀντιδοσις vocabatur, h. e.
 permutatio, cum cives boni iura secum invicem permutabant. Nam
 trecenti ē populo deligebantur ceteris locupletiores, qui in publi-
 cas functiones sumtus facerent, præsertim Trierachicas. Quod si
 qui gravari se putarent, & esse alios ditiores causarentur, qui im-
 munes essent ab eo onere, iis ex lege ἀντιδοσῶς, à Solone lata, con-
 tra illos actio dabatur, ut, aut suo loco in trecentorum numerum
 referrentur, aut, si ditiores se esse negarent, facultates inter se per-
 mutarent. Exstat ea de re *Isocratis Oratio περὶ τῆς ἀντιδοσῶς* & *De-
 mosthenis περὶ Φαινητῶν*. Hinc quid ἀντιδοσις sit, facile cognosci-
 mus, & quatenus admodum tamen cautè illud intelligendum, hoc no-
 men ad communicationem idiomatum significandam assumtum fuerit.
 Etenim hac sola ratione convenit, quod, quæ sibi peculiaris sunt, na-
 tura una transferat in alteram, adeo, ut hæc illa sibi tanquam pro-
 pria vendicat, indeque denominetur. Sed illud interest monente
Petaviolib. IV. de incarnat. c. XV. §. II. quod in ἀντιδοσει & permuta-
 tione bonorum, qui iis alteri cessit, non ea amplius possidet, id
 quod etiam in emptione aut similibus contractibus usu venit, sed jus
 quod habebat, cum re ipsa transfert in alterum, & vicissim ab eo
 jus alterum accipit. In Christo verò, sic natura quælibet cum altera,
 quæ sunt, communicat, ut eorum nihilominus possessionem retineat,
 perinde ut aliorum, quæ adventitia & aliena recepit. Porro in
 eodem articulo contra *Apollinaris & Monophysitarum* vecordiam B. Pa-
 tres unionem naturarum simili methodo defenderunt. Nempe
 quæquam *ναὸν* etiam appellabat assumtam à Deo naturam *Apollinaris*,
 ut referunt in III. Dialogo *Theodoretus*, & *Cyrillus* in libro de recta fide
ad Theodosium Imperatorem. Veruntamen ita *ναὸν* & *καρναρικὸν*
 admittebat, ut solam carnem concederet, anima detracta, ut ibidem
Cyrillus narrat. Atqui non hanc duntaxat assumtam esse, sed una cum
 ea animam, probat idem *Cyrillus* erudite ex illis verbis Christi *Joh. II.
 19. Solvite templum hoc.* Cujus testimonium plane dignum est lectio-
 ne ap. *Euthymium* in Panoplia Tit. XIII. pag. 132. Nam ad hæreticos
 illos retellendos ingeniosissime est adhibitum: *Solutio*, inquit, tem-
 pli

245

pli anima est & corporis diiunctio. Mors enim anima recessus à corpore, igitur solutionem templi efficit anima separatio. Eadem ferme verba occurrunt ap. *Facundum Hermianensem* lib. 6. c. 4. p. 246. Caterum in articulo de Christo S. *Hilarius* in Ps. VIII. conciliationem locorum *Psalmi II. & Act. XIII.* instituens, putat vocem illam, *Filius meus es tu, hodie genui te*, in die Resurrectionis existisse. Resurgens enim in cœlo & in terra excellentissimos in usus jus omne sortitus est. Cum enim mortali hoc vitæ curriculo cuncto, ærumnisque omnibus & cruciatibus, ac morte ipsâ defunctus, ad novæ immortalisqve vitæ decus, & splendorem excitatus esset, *denuo veluti à Patre genitus dicitur*, quia novum vitæ statum adeptus est, *novumque veluti regni & imperii Natalem*. Sic enim dies ille, quo Imperatores inaugurabantur, & Augusti salutabantur, *Natalis illorum appellari solebat*, ac tum ipsi oriri dicebantur. Hinc & *Panegyrici autor*, qui *Maximiano & Constantino* dictus est, *Constantinum Orientem vocat Imperatorem*, quod tum primum à locero renunciatus esset Augustus, & eundem ait *Britanniam nobilem oriendo fecisse*, quod in ea insula post Constantii Patris obitum Imperator acclamatus esset. Eodem modo, juxta dictum *Hilarium* Christus, ut homo, post resurrectionem voti illius postulationisqve compos, quæ clarificari se à Patre petierat ea claritate, quam ap. ipsum haberat, prius quam mundus esset, generatus tum ab illo dicitur, h. e. in regni illius & gloriæ possessionem ac consortium, vel potius gloriosam demonstrationem & Confessum DEI Patris admisit est. Quam tamen expositionem non per omnia probamus, cum ex ipso textu multò convenientior conciliatio utriusque loci exhibeatur, & periculosum sit generationem filii Ps. II. descriptam illo modo exponere de resurrect. & ascensione in cœlos. Nobis in præsentī sufficit ostendisse, quomodo *Hilarius* analogiæ rituum studuerit.

S. III. Ex hisce cuilibet constat, quod antiqua fuerit Patrum methodus, phrasés dogmaticas ex analogia rituum exponendi, pergendum jam foret ad recentiores auctores, at vero quoniam video *dubia nonnulla moveri posse*, ea priusquam pergam, removebo. Scilicet regerunt nonnulli, quibus S. Antiquitas displicet, *plus æquo artificiosam esse illam methodum*, & Patribus ipsis plus vice simplici in summis controversiis *suspectam atq; dubiam*. Nempe nonnullis Hæreticis opportuna visa est harum vocum *ἐνοικίωσις, γέννησις* qualiscunqve ambigui-

tas, ut incautis erroris venenum aspergerent, ut *Paulo Samosateno* *. *Theodoro Mopsuesteno* **. *Nestorio* ***. At vero S. Patres uti locutiones istas Scripturæ autoritate comprobatas non proflus rejicerent, ac ne interim veneno hæreticæ interpretationis infectæ fraudes essent Catholicis, multiplici eas cautione munierunt, nec nisi additis quibusdam explicandi gratia, fere illis usi sunt. Inprimis autem illud notarunt, dissimili ratione templum vocari corpus Christi, vel humanam ipsius naturam, ac cæteri homines, veluti Prophetæ, sanctique cæteri, templa Dei, vel Sancti Sp. appellantur. Quippe templum ejusmodi ac domicilium Sanctus quilibet ac justus Dei esse dicitur, ut cum eo nullo proprie dicto, & naturali vinculo ac nexu copuletur, nec unus cum ipso sit, nisi *ἑλκῶς* & *τερονῶς* h. e. habitudine quædam externa & figurate, quâ morale unionem recte dicimus. At humana Christi natura unam cum Verbo subsistentem personam efficit, si quidem arcta, intima & substantiva, cum eo conjunctione cohæret. Hanc utriusque domus seu Templi differentiam passim *Cyrillus* adversus *Nestorium* commendat, & prolixè probat *Petavius* lib. VII. de incarnatione cap. X. §. 8. seq.

CAP. V.

De Autoribus hujus methodi recentioribus & recentissimis.

§. I.

UTinam autem perpetua fuisset Patrum moderatio dogmata fidei ex analogia rituum exponendi. At vero mox insolentia quædam atque temeritas accessit, præsertim illis temporibus, quibus *Mystagogia* ferme unicum fuit Patrum studium, Intelli-

* Testatur id *Malchio* Antiochenus Presbyter, qui eum solide convicit in synodo Antiochena ap. *Pet. Diaconum* c. 3. lib. III. de incarnatione.

** *ἐνοικησεν* illam longe commendavit asserens, Deum verbum habitas. se in homine Christo non substantiâ nec *ἐσπερῆσα* sed *εὐδοκῆσα* i. e. beneplacito ac bona voluntate. Cujus de hac sententiæ aliquot tum in V. synodo collat. IV. p. 223. selectæ leguntur, tum ap. *Leonsium* in lib. 3. contra *Nestor.* T. IV. Bibl. Patr. p. col. 1012.

*** Sic enim habitasse Deum in homine fatebatur, ut non per se, nec substantivè copularentur, nec unum, ex ambobus proprie dictum existeret.

Affea

go autem per Myſtagogia Scriptores ex antiquis *Origenem, Gregorium Nyſſenum, Ambroſium, Ephraim, Macarium, Iſidorum Hiſpalenſem, Gregorium M. Marcum Eremitam, Dionyſium Areopagitam, Zenonem Veronenſem, Diadochum, Nilum Conſtantinopolitanum*, ex recentioribus Patribus, *Simconem Theſſalonicenſem, Proclum C. Politanum, Pachymere, Maximum, Anaſtaſium Sinaitam* & alios, quorum magnum catalogum exhibet *Godofredus Arnoldus* in *Hiſtoria & deſcript. Theologiae Myſt. c. 9. ſeq. **.*

§. II. Sequioribus ſeculis adhuc magis ineptiae nugaeque creverunt, non ſine inſigni damno orthod. religionis, ſub iſtiusmodi Verborum in volucris plane obſcure. Speciminis loco ad duco *Joh. Rusbroschium, & Petrum Abbatem Cellenſem* prope Trecaſ Gallum; uterque ſanam doctrinam in Expoſitionibus myſtici Tabernaculi Foederis pluribus vicibus graviter interpolat atque collutulat. Ex Fanaticis *Paulus Felgenhauerus* in libro cui titulus: *Vorhof heiliges und allerheiligſte* ex ſanctulis hodiernis *Balthaſar. Köpke* in templo Salomonis ex analogia rituum myſteria fidei temere explicant, inprimis poſtremus, qui libro ſuo gravem controverſiam de gradibus perfectionis & ſanctitatis magno cum damno Eccleſiae excitavit.

§. III. Paulo poſt Reformationis tempora, poſtquam S. Scriptura ardentiori ſtudio & legitimis mediis Hermeneutices adhibitis illuſtrata fuit, cujuſlibet ſectae Viri eruditi omnem operam impenderunt, ut Theologiam dogmaticam ex Analogia rituum explicarent, Ex Pontificiis hanc operam in ſe ſuſceperunt *Didacus de Baëza* in *Commentariis allegoricis & Tropologiis de Chriſto Figurato* in *V. T. Maximilianus Sandeus* in *Theologia Symbolica*, *Anton. de Rampelgis* in *Expoſit. figurarum Scripturae*, *Godofredus Tilemannus* in *Allegoriis & Tropologiis utriuſque Teſtamenti*; num verò temper egregie labore ſuſcepto defuncti fuerint, iudicent illi quibus mens non laeva eſt. Hoc certum eſt ipſos *κοινοί* ut plurimum *δολοί*, atque inſuper Pa-

C ; trum

Aſſerebat verbum prodiſſe ex Virgine una cum homine Chriſto & in eo, quaſi in domicilio *ſine ullo nexu ac vinculo*, ut in Prophetis ſanctisque ceteris quam vis multo excellentius habitaffe.

* Exſtant hodie Allegoricae omnium fere rerum in Bibliis contentarum explanationes ex *Gregorio Magno* collectae.

** Conf. *J. L. Schottelens* allegorias Patrum, *P. D. Huetii* Origeniana, *Joſ. ſuita Cornelii Hazarti* diſcurſus Morales ex Patribus ad ſelectiora quaedam *Genef. Exodi & Levitici* loca.

rum libere allegorizantium vestigia sequi imprimis Hugonis Victorini aliorumque, quorum non parva est apud Pontificios autoritas *. Ex Reformatis, Abrahamus Gulichius in Theologia Prophetica, Nicolaus Gurtlerus in Lexico typico vocum Prophetarum & Theologiae Propheticae systemate, Antonius Hulsus in Nucleo Prophetiae analogiam rituum in dogmaticis haud infeliciter tractant, nonnunquam autem studio ἀνορθότητος in errores ducuntur, uti vel ex sola controversia inter Belgas hodie celebri de multitudine Sacramentorum Vet. Testamenti constat **. Petrus Allixius T. II. des reflexions sur les livres de l'Écriture S. pour établir la vérité de la religion Chrétienne c. 7. recte quidem hanc methodum Spiritus S. ad Analogiam rituum respiciendi observat, sed fallitur in reddenda ratione, dum putat, Spiritum S. doctrinam caelestem istiusmodi verborum involucris obtegisse, ne gentilibus innotesceret. cont. Cap. I. Partis II. T. II. Campegius Vitringa lib. I. Observationum Sacrarum Cap. IV. praefatus de vera Kabala i. e. genuinis παρρησιασθέντων traditionibus, quas sub Oeconomia Instrumenti Vet. obtinuisse ex Luc. XI. 32. asseverat ***, Compendium ejus Cabalae in decem ספירות Sefirotum sive numerationibus explicare aggreditur, quibus, non ut vulgo volunt, summas Dei perfectiones & virtutes in mundi creatione atque regimine hominibus patefactas significari, sed mysteria incarnationis Messiae adumbrari probat, tum ex figura vocum constanter in typis impressis, juxta figuram Corporis humani (uti in icone appposito cernere est) dispositarum, tum ex figurae istius & nominum singulorum accommodatione ad Christum facta, ductu Scripturae, potissimum Apocalypsis Johanneae Id ingeniose exsequendo & plurima scripturae loca explicando, monstrat, Schechinā, aliquando Christum, aliquando Spiritum S. Judaeis antiquis notare, contra Buxtorffium: porro falso omnes pene scripturarum interpretes credere, super arca sacra resedisse nubem cum igne, quae symbola essent praesentiae Divinae, Guilielmus Saldenus libro II. otiorum Theolog. seu

Exer-

* Conf. Dn. Gerhardi Meieri Bibl. Theol. Contrastram.

** Vide Dn. Praesidia Mei Dissert. Theolog. de Baptismo Profelytorum Vet. Test. Sacramento cap. III.

*** Conf. Georgium Bullura in defensione fidei Nicanae sect. I. cap. I. §. 16. qui putat Philonem Iudaum egregia sua dicta de λογω s. Filio Dei, ex antiqua Cabala desumisse, adeoque non longe ab instituto Campegii Vitringa recedit in hac sententia.

Exercitationum subcifarum exhibet eruditam dissertationem de Typorum Ver. T. usu & abutu, quæ non parum sententiam meam de phrasibus dogmaticis ex Analogia rituum exponendis confirmat. *Joh. Henricus Reizius* in notis ad *Thoma Goodwini* Mosen & Aaron, Phrases dogmaticas ex ritibus illustrat, sed caute tamen legendus est ob partium *Coccejanarum* studium, quod ubiqve elucet. Ex nostris non sine insigni utilitate phrasés dogmaticas ex analogia rituum illustrarunt *B. Carpzovius* * *Frischmuthius* ** *Dn. Dassovius*. Præprimis *Dn. Dassovius* perspicuus, ut ipse monet in præfata. dissertat. I. de Emphasi vocum, quam inepte antiquitatum scrutinium ab iis neglectum sit, qui Emphases Vocum Hebraicarum eruere conantur, omnem operam impendit, ut huic defectui medelam compararet. Et sane optime defunctus est labore, quem in se susceperat, Vir Magnus, non ubiqve tamen æque felici, quod pace summi Viri dixerim, eventu, præferrim ubi *Lightfootum* & *Jacobum Capellum*, ut Duces nunquam sequitur. B. quoque *Michael Baumannus* in hunc censum referendus est, quippe qui typos feliciter exponendo, analogiam etiam rituum in phrasibus dogmaticis haud perfunctorie observat.

CAP. VI.

Specimen brevius Phrasologia Dogmatica ex Analogia rituum exposita.

C Oloss. II. v. 9, dicitur, omnis plenitudo Deitatis habitare in Christo corporaliter. Vox corporaliter optimè poterit explicari, sicut *B. Schomero* in Colleg. Noviss. Controvers. p. 54. ad rituum analogiam respicias. Nempe Apostolus in præcedenti vertu, Philosophia utpote Judæorum etiam Essenorum opponit Christum. Philosophia speciatim Essenorum erat occupata in lege, & nitebatur partim ratiocinationibus, partim traditionibus, ideo conjungit elementa, per quæ intelligit Ceremonialia. His ergo

oppo-
* In primis in dissertationibus pereruditis de Chuppa Hebræorum & Vasca Rusa.

** In dissert. de Hirco &o punitis illisque, quos *Dn. Majum* dignas judicavit, ut Novo Criticorum Anglorum Tomo infererentur.

Opponit Christum, ut alias in Scriptura S. typis & umbræ opponi solet antitypus, seu verum corpus, cui Deitatis plenitudo realiter & revera inhabitet, non umbratice, ut Typis Veteris Testamenti. Quæ tamen explicatione illi, quæ ad ipsum Christi corpus & hunc ejus naturam respicit, nihil propterea ademptum volumus, cum ipsi etiam corpori Deitatis omnis plenitudo vere & realiter non umbratice inhabitet.

Rom. X. v. 6. 7. Apostolus ostensus summum Jesu amorem mortui pro nobis, eum per allusionem ad Populi Judaici illo tempore circa justos differentiam, commendat. Christus inquit: *ὡς ἐπὶ ἀσεβῶν* pro impiis mortuus est: vix enim quis *ὡς ἐπὶ δικαίων* pro justo moriatur, nam *ὡς ἐπὶ τῷ ἀγαθῷ* pro bono forsitan etiam quis mori sustineat: quæ commentatio fit à majori, ut ajunt: quidam forte morentur pro aliquo ex *τοῖς ἰσραηλῖταις* bonis, vix pro aliquo ex *τοῖς ἔθνεσιν* justis, nemo autem occumberet pro *τοῖς ἁμαρτωλοῖς* impiis, & tamen Christus mortuus est pro nobis impiis, enormibus peccatoribus, hostibus, conf. Goodwini *Mos. & Aar.* lib. I. c. IX. §. 5. seq.

Col. II. v. 20. Paulus ostensus libertatem Christianorum, ait: *ὡς δόγματα* etc., quid ritibus gravamini? Ubi vox *δόγματα* Essenorum potissimum constitutiones notat. Antiqui Christiani inde distinctionem suam inter *κηρύγματα* doctrinas fidei, & *δόγματα*, ritus desumerunt. conf. Pfeifferi *Theol. Regiomont.* disert. de distinctione Veterum inter *κηρύγματα* & *δόγματα* & *Dn. Praesidis mei Colleg. Hist. Eccles.* cap. I. Part. I. de Theologia dogmatica, ubi de usu hujus distinctionis non pauca affert.

Rom. III. 23. Paulus de aeditate peccati originalis agens, emphaticè dicit de hominibus: *ὡς ἐπὶ τῆς δόξης* & *βεῆ*. Summa est Metaphora, inquit B. Danhauserus in *Hodosoph.* p. 885. ab iis, qui in stadio decurrunt, & quibus, qui *ὡς ἐπὶ τῆς δόξης* posteriores relinquuntur, alio evolante ad Brabeon. Illi, etiam si sese currendo fatigant, ad præmia tamen adspirare nequeunt, ita etiam se res habet in salute assequenda hominum cura laborque: quamvis enim ærumnote justitiam sectentur, ad metam tamen non pertingunt, quia cursores sufflammat *ἀμετρίαν ἀμαρτίαν*, instar Cataphractæ, homini incumbens.

1. Corinth.

1. *Corinth. VII. 5.* emphatice Paulus ait, nobis unus Deus Pater, ex quo omnia & nos in illo, & unus Dominus Iesus Christus per quem omnia & nos per ipsum. Volunt hic probare Sociniani, minus recte Christum DEum vocari; at vero etiam prætermis-
 sis gravioribus argumentis, inde errant, quod phrasæ egre-
 gie possint ex antiquitate illustrari. Nempe Paulus Corinthiis
 revocat in memoriam doctrinam illam fidei, quam paulo ante Ba-
 ptismum ediderunt, in qua tum temporis quoad sensum idem
 habebatur, quod postmodum in expressis verbis formulæ Pro-
 fessionis: Credo in Unum DEum Patrem Omnipotentem, & in unum
 Dominum Iesum Christum. Quæ formula rudibus ac tronibus,
 & ab Idolorum & Deorum plurium cultu recens conversis aptis-
 sima fuit: ne, si statim Trinitatis arcanum mysterium illis of-
 ferretur, ac tres esse docerentur, qui unus sint Deus, è quibus
 unus sit Pater, Fons & Origo cæterorum, Filius verus Genitor,
 & Spiritus Scti, unum cum Filio principium, neque tamen Pater
 anterior extiterit Filio vel Spiritu S. sed ex omni æternitate tres
 simul fuerint: hæc & huius generis cætera illorum animos offen-
 derent, sicut & hodiernum abstrusa & humano majora captu
 fidei mysteria, teneris ac velut à partu recentibus quoad subtli-
 lissimas quæstiones non sunt statim committenda: Uti Aposto-
 lus nos exemplo suo docet 1. Cor. III. Quæ Pauli verba Augu-
 stinus expendens in libro de bono Perseverantiæ cap. XVI. Fa-
 cile est, ait, imo & utile, ut taceatur aliquod verum propter inca-
 paces. Breviter igitur tales erant Corinthii, quibus cum res
 erat Apostolo, dum ea scribebat, quibus adhuc lacte opus esset,
 h. e. facilioribus & vulgaribus fidei rudimentis, non exqui-
 sita illius enarratione, qui cibus est solidus, de quo alibi Pau-
 lus Hebr. V. 12. * Cæterum huius generis doctrina illa, de qua
 D nunc

* Quemadmodum Paulus vocat Catechumenos κηρίσς, ita & Ve-
 tus Ecclesia nuper lavacro functos, quos vsø Φωτίσς Græci vocant,
 infantes appellabat, extantque sermones aliquot Augustini sub hoc titu-
 lo ad illos habiti. Ad h. l. autem pertinet illud Cyrilli Alexandrini lib. 2.
 de adorat. in Spir. S. p. 93. ubi fidem hanc esse Catechumenorum primam
 asserit,

nunc agimus, symboli etiam Apostolici fuit, quod Trinitatis
mysterium non ita clarè, plenè, absoluteqve, sed leviter ac pri-
mis veluti lineamenti designat. Ac in principio quidem id,
quod ab multorum cultu Deorum venientibus opportunum erat,
unum DEUM commendat, mentionemqve solius Patris imme-
diatè subjungit, Filii ac Spiritus S. autem aliquantulum differt,
eàdem prorsus ex causa, propter quam Dominum JESUM
CHRISTUM Patris sui divinitatem clarè aperteqve prædi-
casse, sibi verò eam non passim, nec nisi obicure vindicasse,
Theologi Veteres observant: qui id ab illo tactum asserunt,
οικονομικῶς, h. e. prudenti quadam moderatione, uti res postula-
bat, & *πρὸς ὑπογράμμιον ἡμῶν*, ut nobis exemplo suo
præiret ad modestiam, ac vanam gloriolam sui qve commendatio-
nem esse vitandam ostenderet: quod *Cyrillus Alexandrinus* & *Epi-
phanius* adnotant ap. *Petavium* lib. 3. de Trinit. Cap. I. §. 7. Ap-
paret ergò luculenter, cur *Apostolus* in illo primæ ad *Corinthios*
loco distinctè ac expressè unum Deum Patrem in terminis com-
mendarit, nempe ut τὸ σεμνότερον illud κήρυγμα τῆς ἐκκλησίας,
ut appellat *Athanasius* in libro de Decretis Synodi Nicænæ p. 421.
ante omnia diligentius inculcaretur de Monarchia & unico Di-
vinitatis univèrseque *Ἐὐθῆ*. Origine & Fonte. Quæ doctrina
Neophytis gentilibus præsertim ab multiplici errore Divinita-
tis nuperrime translatis apprime necessaria fuit. Iisdem tamen
cætera, quæ difficiliora & sublimiora sunt, ut non omnino tace-
bantur, licet minus, quam illud, citò minusqve in principio aperte
proponebantur: Ubi autem fides unius Dei inculcata erat, tum
etiam ut filius Dei rectè agnosci posset, mysterium totius Trini-
tatis superaddendum fuit, velut major graviorqve sapientia. Sa-
pientiam enim loquimur inter perfectos, ait *Apostolus* 1. Cor II. 6. &
loquimur Dei sapientiam in mysterio. Quam obtegendorum pru-
dentiam apud simplices vel pro ratione temporum usurpandam
Clemens Alexandrinus lib. V. Strom. p. 422. vocat propheticam &
antiqvam occultationem & ex ipso isto loco *Apostoli* confirmat.

Joh.

asserit, ab opinione multitudinis Deorum liberari, ac vere unum & na-
turaliter confiteri Deum. Cæterum, conf. de h. l. ex Gallis *Abbadie* traite
de la divinite de notre Seigneur Jesus Christ. sect. VI, c. 2.

Job. I. Verba illa καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν non possunt recte explicari nisi ex analogia rituum, Verbum σκηνᾶν a nomine σκηνῆ deducitur, quod tentorium & tabernaculum significat, quasi temporarium aliquod domicilium. Nec tamen primitivam hanc notionem conservat verbum σκηνᾶν ut sit tendere, h. e. tabernaculum collocare: sed interdum simpliciter est habitare, idemque est quod οἰκεῖν vel κατοικεῖν. *Hesychius* interpretatur ædem ac domum & locum ac σκηνῆ etiam corpus. Sæpe autem in scripturis σκηνῶσαι perennem habitationem exprimit & σκηνῆ domicilium perpetuum, quod vel unum hoc exemplum demonstrat *Apoc. XXI.* ubi de Cælesti & sempiterna beatorum mansione, quam civitatem Hierosolyma vocat ita scribit Apostolus: ἰδὲ ἡ σκηνὴ τοῦ θεοῦ μετὰ τῶν ἀνθρώπων καὶ σκηνώσεται μετὰ αὐτῶν videlicet alludit ad *Mosaicum tabernaculum*, in quo commoratus est Deus, aliquamdiu quidem cum variâ mutatione, sic tamen deinde, ut templum illi constitutum sit, in quod tabernaculum illud est translatum, quasi perpetuum domicilium. Videtur alias σκηνῆ ab Hebraico verbo כָּשׂ originem traxisse, quod est habitare, ex quo nomen כְּבוֹד divinæ Majestatis præsentiam significat & gloriam, ut cum inter homines illustri aliquo signo conspicuum se præbet ac præsentem se esse testatur. Breviter ergo & simpliciter quidem arbitror, usurpatum ab Evangelista vocabulum istud pro eo, quod est commorari aut habitare. Cæterum majoris momenti est quæstio de constructione vocis ejusdem in *Johannis* illo loco: utrum habitasse Verbum in corpore assumpto an inter homines tantummodo commoratum esse dicatur. Equidem illis non assentior, qui ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν, i. e. habitavit in nobis, id ipsum esse volunt, quod in nostro corpore, vel corpore nostro simili: Melius fortè tamen meo judicio, ἐν ἡμῖν, inter

D 2

nos

* vide de hac voce *R. Mojen* in prima parte *More Nebochim* cap. XXV. *Joh. Gregorium* in the *Notes of Scripture* p. 140. seq. *Viringam* supra laudatum, *Pearsonum* ad *Symbol. Apostol.* p. 287. *Leywenium* de perpetuo doctore *Mose* ap. *Clericum* Tom. I. *Bibl. univers.* p. 196. & *Tom. III.* *Bibl.* p. 545. *Fullerum* in *Miscellaneis S.* lib. II. c. 4.

nos, i.e. homo inter homines dici intelligitur, quam in naturâ nostrâ quasi omnium hominum communi. Ceterû de hujus Evangelici loci veriore sensu cum aliquo multum litigare nolim, nam & altera interpretatio uti cum fide convenit, ita non omnino improbabilis alicui videri potest. Quid vero in illa templi domusque vel habitandi significatione Veteres inesse commodi putaverint ad Catholicam incarnati verbi declarandam & illustrandam professionem, verbis *Flaviani Antiocheni*, *Gelasii Casarcensis*, *Cyrilli Alexandrini*, *Ephraemii Antiocheni*, *Pauli Emiseni*, *Theophylacti*, *Autoris opusculorum*, quæ falso *Athanasio* tribuuntur, & *Theodoreti* esse creduntur, *Ambrosii*, *Gaudentii Brixiani*, *Vigilii*, *Ruperti* aliorumque probat *Petavius* lib. VII. c. XI. de incarnat. §. 7. leq. Porro in *Apocalypsi* ut & aliis locis Scripturæ innuitur egregie amor divinus, quo pios amplectitur, dum Dominus illos in solio suo secum collocare dicitur. Erat autem mos, uti ex *Stephano le Moyne* observat *Anton. Bynæus* lib. I. de Nativ. Jesu Christi, Regum Orientalium, quos amore suo dignos censabant, in foliis suis, quæ lata & ampla erant, collocare & quasi *συνδράμας* facere.

In eadem *Apocalypsi* verba *Johannis* circa finem de *Canone N.T. clauso* dirisque adjunctis non recte exponi possunt, nisi respicias ad antiquissimum morem gentilibus ut & Judæis non insolitum, quo contra falsarios corruptoresque librorum ejusmodi anathemata apponebant. *Aristeus*, qui historiam LXX. interpretum scripsit, fulmen itidem in corruptores projicit, nec non paulo post Apostolorum tempora *Jrenæus* Vir vere Apostolicus ap. *Carveum* in *Histor. Liter. Part. I. p. 31.* Non autem inde licet concludere, quod Apostolus his verbis tantum increpet corruptores, non autem Canonem claudat. Scilicet iidem hæretici, qui corruerunt S. Codicem, Pseudepigrapha quoque Apostolica adjecerunt, ut propterea iis quoque occurrendum fuerit fulmine, uti prolixè ostendit *Dn. Præses meus* in *Colleg. histor. Eccles. P. I. de Theologia dogmatica Veterum Loc. I. de S. Scriptura Sect. II.*

s. II. Hoc

§. II. Hoc specimen licet paulo brevius sit, luculentum tamen satis est firmumque, quippe ex quo facile quis colligere potest, quam necessarium sit sacrarum antiquitatum studium, ut eò melius phrasas dogmaticæ intelligantur. Opera igitur pretium erit, quemadmodum Viri Eruditi in exponendis typis optimè tempus suum collocarunt, phrasas dogmaticas itidem ex Analogia rituum exponere. Quod si alicui paulo difficilius hoc scrutinii S. Scripturæ genus videatur, meminerit, nobis perfectam phrasæologiam dogmaticam ex ritibus exponendam non amplius tam anxie expectare licere. Exemplar autem in hoc studiorum genere sint *Epistola ad Hebraeos*, *Apocalypsis*, *Epistola Barnabæ*, & *Scripta Patrum Apostolicorum*, quippe quæ vel *θεοπνευσίας* dono excellunt, nobisque viam tutissimam monstrant, vel ex *διδασχαις* vel *διδασκαλαις* Apostolicis per senes quosdam, qui eas ex Apostolorum ore hauserunt, seculi Iudi Patribus traditis, auctoritatem haud exiguam consequuntur *. Cæterum omnis cura adhibenda est, ne Rabinorum nugis plus æquo indulgeamus, excellentiora dicta dogmatica eorum more exponendo, rectius, dixerim derorquendo. Nam præterquam quod, hodierni Judæi una cum antiquioribus ignorant veram rituum originem atque seriem **, imo ritus fingunt ex scriptura male intellecta; *** dissentiunt etiam miris modis inter

* Conf. præter *Cabeum* non procul ab initio Hist. Liter. *Henr. Dowellum* in dissertat. ad *Irenæum* p. 50.

** Quomodo v. gr. turpiter lapsus fuerit *Philo* in descriptione rituum circa sacrificia, pluribus ostendit *Ludovicus de Campaigne*, qui Londini 1683. in 4to *Mosis Maimonidis* librum de sacrificiis cum versione, & notis illustratum edidit. Idem judicavit olim de *Iosepho Iudæo Usserius*, recte *Basnagio* in dissertat. Epist. adv. Simon, p. 177. nempe & hic more *Xaverij* interpolat ineptis fabulis figmentisque Sac. Scripturam.

*** Sic v. gr. phylacteria fingunt a Deo mandata esse, ex verbis scripturæ male intellectis, vid. *Reizii* notas ad *Goodvini* *Mosen & Aaron* p. 91. seq. Alia specimina Judaicæ fraudis in fingendis ritibus ad locum Deut. XXII. 14. exhibet *Jacobus Capellus* in Operib. Posthumis p. 490. Imo *Spencerus* sub finem operis de libris Hebræor. ritualibus & eorum rationibus, promittit novum aliud de ritibus Hebræorum in scriptura ple-

inter se circa ritus. Non de Commentatoribus Talmudis tantum lo-
 quor **** sed etiam de ipsa Judæorum praxi. Alios ritus habent Ju-
 dæi in Africa, quorum historiam consignavit Londini 1676. *Lan-
 cellotus Addison* in libro Anglico, cui titulus: the present state
 of the Jews in Barbary. * Alios Judæi Itali, teste *Leone Mode-
 na*, cujus librum gallice vertit *Simonius* sub tecto nomine *Simon-
 villii* sub hoc titulo: Ceremonies & coutumes, qui s^t obser-
 vent aujourd'hui parmi les Juifs, traduites d' Italien de Leon de
 Modena Rabin de Venise, par le sieur de Simonville: Alios Ju-
 dæi in Polonia & Germania, quos descripsit *Buxtorffius* in Sy-
 nagoga sua Judaica. Ex qua rituum varietate atque ignorantia
 facile quilibet colligit, quam incertum sit recentiores Judæos
 antiquitatum pene ignaros sequi.

§. III, Atque hæc sufficiant præsentī in loco: Prolixio-
 rem equidem tractationem gravitas materiæ requirit, at vero
 volui tantum specimen esse plenioris systematis, si Deo visum
 fuerit, aliquando edendi. De cæteris gratias ago summas be-
 nignissimo Numini pro exhibito Divini Spiritus auxilio: Faxit
 ille, ut hic labor meus in Numinis Supremi honorem, studiorumq;
 meorum commendationem vergat!

plerumque Canonica vel Apocrypha memoratis, nullibi tamen, quod
 scimus, a Deo præscriptis aut institutis, nec non *dissertat. de Iudæorum
 phylactertis.*

**** Intelligo autores Rabbinos quæstionum & responsionum
 Scheelos uteschuvos שאלות ותשובות quos commemorat Buxtorff.
 in Bibl. Rabb. p. 135. R. *Schabthai Ben Joseph* in labiis dormientium
 שינוי שפתי שינוי P. I. Sect. Posteriori.

* Forte huic libro non parva lux accenditur ex libro *Genebrardi* de
 Moribus Judæorum in *Ethiopia* teste *Menagio* in Menagianis tom. 2. p.
 280. & ex *Seder Hayom* seu rituali judæorum Turcicorum, quod commemo-
 rat *Buxtorff.* p. 109. Bibl. Rabb.

55 (0) 50

301

AD CL. DN. RESPONDENTEM.

Vo rariores sunt materiae, quae five ex Ecclesiastica historia, five ex antiquae Ecclesiae institutis & ritibus in Academiis proponuntur, eo majorem omnium bonorum judicio laudem mereris, *Amice optime*, quod in hoc eruditionis Theologicae genus tam *mature Te immittis*, quidque in eo *& privata industria, & ductu praecipue fidelissimi Doctoris Tui*, in eo *doctrinae genere post adamantinos labores versatissimi*, profeceris, publico specimine demonstras. Quam enim id five sacrarum literarum exegefi, five accuratori controversiarum scrutiny utilitatem lucemque adferat, meo equeidem encomio haud indiget, cum *universa Disputatio Tua* in hoc unice occupata sit, ut rationibus pariter & exemplis id comprobatum reddat. Quare hunc Tibi animum & diligentiam impense gratulor, utque fructu ejusdem, majori semper copia in Ecclesiae aliquando & rei literariae salutem redundante, fruaris. DEum, omnis boni auctorem, enixis precibus imploro. Scr. XXVII. Aug. MDCCVI.

JO. FECHT. D. P. Cont. Duc. Adf. & Diocesis,
Rost. Superintendentens.

Maximè

Maxime Reverendis, Amplissimis atq; Excellentissimis
Præsulibus Ecclesiarum Hambur-
gensium

S. D.

M. PETRUS ZORNIUS, S. Theol. Baccal.
& hujus Dissertationis Præses.




IX semestre elapsum est, *Viri maxime Reverendi*, ex quo *Dn. Heymannus* hanc *Academiam*, *benignissimam studiorum meorum matrem & nutricem*, accessit, ad bonarum literarum veluti largissimam mercaturam profectus. Deprehendi ex primo alloquio tum quietos compositosqve mores, tum ardentissimum in eruditione sua perficienda studium, ita ut optimam spem de *Heymanno meo* illico conciperem. Neqve vana fuit spes illa, neqve fallax conjectura, qva augurabar præstantissima qvæqve illum mox prolaturum esse. Nam præsens dissertatio, qvæ canam venerabilemque Patrum antiquitatem spirat, *Heymannum* habet autorem solertissimum, qvippe qvi, me duce, & subsidiis ex Collegiis meis tum privatissimis, (qvibus nunqvam non sedulus adest auditor) petitis, selectissima *Σύμμινα* omnigenæ eruditionis in præfenti dissertatione oculis Vestris exponit, ostenditqve, qvantoperè tam brevi tempore, profecerit in Philologia, Antiquitate, Historia atqve Theologia. Nullus dubito, qvin *Vos, Venerandi Præsules*, has Primitias Academicas *Heymanni mei* munifico favore excepturi sitis, præsertim cum in Civem optime meritum propensior esse soleat favor. Et cum haud vanus augurer, nihil addo præter Votum, qvò pro salute Vestra, mecum nuncupant universi, qvi *Ecclesiis Hamburgensium*, bene cupiunt, *DEUS* benignissimus Vos publicè, domiqve felices fervet qvam diutissime! Scripsi Rostochii, MDCCVI, die XXVII, Augusti.





AD CL. DN. RESPONDENTE

 Vo rariore sunt materiae, quae sive ex
fiastica historia, sive ex antiquae Eccle
stitutis & ritibus in Academiis propon
eo majorem omnium bonorum judic
dem mereris, *Amice optime*, quod in hoc
tionis Theologicae genus tam mature Te immittis,
in eo & privata industria, & ductu praecipue fidelis
toris Tui, in eo doctrinae genere post adamantinos
versatissimi, profeceris, publico specimen demo
Quam enim id sive sacrarum literarum exegesi, f
curatori controversiarum I scrutinio utilitatem
que adferat, meo equidem encomio haud indige
universa *Dissutatio Tua* in hoc unice occupata sit, t
nibus pariter & exemplis id comprobatur
Quare hunc Tibi animum & diligentiam impen
tutor, utque fructu ejusdem, majori semper copia
clesiae aliquando & rei literariae salutem redu
fruaris, DEum, omnis boni auctorem, enixis pro
imploro. Scr. XXVII. Aug. MDCCVI.

JO. FECHT. D. P. Conf. Duc. Adf. & D
Rost. Superintendentens.



301